

RHENAUGIÆ BONA IN NIGRA SILVA. 139

lis Saxoniae, Franciae & Baioariae, ac *coram multis principibus in generali concilio*. Generale Germaniae concilium Moguntiae ad annum 852. ex analista Fuldensi notat Pagius, cui anno etiam congruit indictio XV. annus vero decimus regiminis Ludovici regis repetendus est a pacto Vir-
SECULUM
IX.

dunensi mense Augusto an. 843. quo eidem ditiones ad Rhenum adiunctae fuerunt. Hic in eodem diplomate confirmat etiam electum abbatem Gozbertum, eique potestatem concedit eligendi sibi advocatum & defensorem, ac monasterium sub banno regali constituit.

Propius ad nos spectat charta commutationis an. 844. apud P. Herrgott, qua Rinloz ad idem monasterium tradit, quidquid in pago *Chleggowe* in villa *Louchiringa* & in illa marcha proprietatis habuit, *ut ego*, inquit, *ab eiusdem monasterii rebus per cessionem Gozperti comitis, & consensione fratrum, quidquid in pago Alpegowe in villa, quae dicitur Tezzilnheim* (hodie Tözelen) *hereditario iure habet, recipiam*. Eodem pertinet charta Meginhart presbyteri an. 855. *actum ad Mettingen*, de bonis in termino *Mettingen* traditis; item alia anni 860. de Nanger & uxoris eius Adalnuī donatione tertiae partis in silvis in duabus marchis ad *Alaffin* seu *Alpsen*. Item charta presbyteri Swab circa idem tempus data apud P. Hergott sic restituenda: *omne, quod in vico & in termino, in pago Alpigowe ad Waltchilchum* (Waldkirch) *habeo, tam in terris, quam adificiis & mancipiis, ad monasterium Renaugia, quod constructum est in honore beati Petri apostoli, trado atque transfundo &c. Actum apud Töingen* (Thiengen) *coram populo Alpegovense coram avvocato meo Rutherio X. Kal. Iulii, regnante rege Hludovico sub papa Nicolao*. Ad idem tempus spectat traditio bonorum *Landfrith* in villa *Alaffin* seu *Alpsen* in pago *Alpegowe*, ex archivio Rhenaugienfi, quamque anno sequenti auxerunt pii coniuges Nanger & Adalnuī, uti ex eodem archivio edimus. Apud Herrgottum ad annum 871. habetur instrumentum permutationis possessionum, factae in pago *Chlegowe* a *Wolveno* loci Rhenaugiae domino & abbate, qua ad illud monasterium tradit *in pago Alpegowe in villa Wizzin* quidquid habuit, *videlicet rem ecclesiasticam & omnia ad eam pertinentia*. Et quidquid in villa *Mettingen* habuit, & quidquid in *Balinholz* (Banholz) habuit. Mentio ibi quoque fit pecuniae ab Adilberto comite datae pro hereditate sita in pago *Tartonense*, qui pagus etiam notatur ad annum 873. in charta donationis Adilbrecht comitis, qua bona sua in villa *Gurtwila* in pago *Alpigowe* sita monasterio Rhenaugienfi donat, & alia eius praedia accipit in Italia in pago *Tartonense*: id quod fundationem a Guelphis illic terrarum dominantibus factam confirmat.